



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **S. Odilo Abbas. Cura defunctorum**

**[Köln], [1654]**

S. Gregorius Nazian. Ep. Studium sacrarum litterarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



**S. GREGORIUS NAZIAN. EP.**

*Studium sacrarum litterarum.*

Deus, qui Ecclesiae tuae S. GREGORIVM  
Nazianzenum dedisti rerum divina-  
rum magistrum; da ut ejus instructi do-  
ctrinis, etiam virtutum jugiter pro-  
ficiamus exemplis.

*Ora pro Magistris in Theologia,*



**G**REGORIVS, Nazianzi in Cappadocia nobiliter natus, & cum S. Basilio institutus seculari litteratura Athenis; cum eodem ad sacram se convertit, in cœnobio addiscendam. Hic cum doctrina, & sanctitate fulgerent, ad munus prædicandi Euangelium vocati sunt, ac multos Christo filios pepererunt. Inde Sasimorum Episcopus ordinatus GREGORIVS, Nazianzenam Ecclesiam administravit pro patre. Tum anno 380 à Theodosio Imp. evocatus Constantinopolim, cum hanc ab Ariana hæresi repurgasset, & pacificandæ Antiochenæ Ecclesie intenderet; tantam multorum incurrit invidiam, ut elegerit anno 387 Throno cedere, ac domum regredi. Ibi Eulalium Episcopum ordinans, totum se contulit ad rerum divinarum scriptionem contemplationemque, in quibus finem vivendi grandævus valde fecit, an. 391. Corpus conspectum Gregorio patri Constantinopolim allatum esse constat post 944; non item quando ablatum sit hinc, vel Venetias ad S. Zachariæ, vel Romam ad S. Gregorii in Campo-Martio; vel utri civitati pater, utri filius obtigerit.

*Omnis scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum. 2 Tim. 3.*